

finem obligatur, obligatur qvoq; ad media, per qvæ is ipse obtineri pos-
sit. Potest itaq; in tali etiam materia ingenium qvis suam exercere, qvæ
immediate qvidem ac directè aliis nihil afferat utilitatis, sufficietq; v
nonnunquam per ingenii culturam, illius inquisitione promotam, i-
stud saltem indirectè in proximi vergere commodum, & sic mediatè
DEI gloriam promovere, ad qvam omnes nostras meditationes, ser-
mones & actiones, vel proxime vel remotè, primariò tamen ubique ac
ultimatò, dirigere abs Apostolo *1. Cor. X. 13. Coloss III. 17.* jubemur.
Deinde, & præcipue qvidem, advertendum venit, dari qvæstiones be-
ne multas, qvæ in se consideratæ, ut tales, non adeo magni esse mo-
menti videntur: qvando autem relativè spectantur, in relatione ni-
mirum vel ad hypotheses & fundamenta, qvibus superstructa alterutra
de iis sententia; vel ad consequentias, & ea, qvæ necessario ex nega-
tione aut affirmatione illarum fluunt, omnino multum interesse agno-
scitur, qvomodo decidantur, postqvam semel proponi cœperunt, qvas
nunquam propositas fuisse præstitisset. Sic qvando, ut unico dun-
tata exemplo hoc rei illustremus, qvæstio formatur: *An filius DEI ab*
eterno à Patre genitus sit per actum intellectus in se ipsum reflexum?
ea in terminis spectata, siqvidem modus generationis æternæ nullibi
expressus deprehenditur, talis esse videtur, qvæ affirmari & negari li-
ceat, qvemadmodum & eam non pauci inter Patres & Philippus Me-
lanchthon affirmare non dubitarunt, Scholastici item de ea in utram-
que disputant partem, ne Calvinio-Reformatos plerosque itidem affir-
mativam suam facientes memorem, de qvibus omnibus vid. **QVEN-**
STEDIUS Part. I. Syst. Theol. Cap. IX. Sect. II. Qu. 9. Antith. Ast
si qvis cum Paulo Samosateo & Photino, qvos Servetiani ut & Soci-
niani seqvuntur, inde inferre velit, Filium esse in Patre, uti verbum
in homine, qvod assertum divinam Filii substantiam personalem tol-
lit, ipsumque S. S. Trinitatis mysterium evertit: Sane non amplius af-
firmare istam qvæstionem licebit. Ideoq; cum POIRETUS *Libr. I.*
Oeconom. Div. Cap. 2. eandem propugnare novissimè ausus fuerat,
tempestivè ac optimè illi restitere JÆGERUS *Exam. Theol. Nov. Con-*
trov. 7. & FOERTSCHIUS Exercit. Theol. de Æterna & Temporali
Generatione Messie §. 20. ff. Et qvatum aliorum absurdorum ex illa
affirmatione necessario nexus seqvatur, ob oculos posuit MUSÆUS

Disp.